Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 503

Quelle:
Copyright:

Baleum video. Manus tamen in *Cod.* diverſa eſt.

X. *fol.* 90. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *Magiſtri Stanislai de Vero et Falſo.* Incipit: *De vero et falſo aliqua generaliter pertractare non erit inutile. Et quidem primum de vero incipiendum eſt. Ponitur autem ſolita diuiſione quoddam verum entis et quoddam propoſitionis* &c. Capitibus XIV. conſtat Praelectio haec Logicotheologica et finit: *Illam autem veritatem ſtudeamus agnoſcere, quam ſemel uidiſſe eſt omnia didiciſſe, cui laus* &c. Adnotavit illam e *Cod.* praeſenti *J. Dom. Manſius* ad *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. 18. p. 202. Vide in *Indice*, quae de *Stanislao de Znoyma* dixi ad *Codd.* plures. Unde illum Cl. *Ungar* in not. ad *Balbini Bob. doct.* P. II. p. 173. Ordini Praedicatorum adſcripſerit, neſcio. *Quetifus* et *Echardus* eum inter ſuos non cenſuere. *Stephanus Dolanenſ.* ſuum ei *Antibuſſum* dicavit, qui legitur T. IV. *Theſ. Anecd. Peziani* p. 363. Ad calcem nobis haec nota miniata jacet: *A. d. M°. CCCC°. XII. feria 5ta poſt feſtum Marci tempore Exequiarum amici prziſnakonis Nicolai de Mnich.*

Codici praetexta eſt Membrana exhibens Partem *Paſſionalis* rhythmici Sec. XIV. eleganti manu bohemice, ſed ſingulari orthographia exarati. En ſpecimen:

Uwiechzſſi zzwathy iacub zzlowe
Chzinem trogie chzcty hotowe
Yus iemu pizzmo wydawa
Podle tyechto trſi chztty prawa &c.

Major Sanctus Jacobus dicitur
Opere trium virtutum expeditus.
Jus ei Scriptura tradit.
Secundum harum virtutum normam.

Et alia ſimilia Rhythmica.

CLXXXII. VII F. 14.

470 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 188. 4. a diverſis manibus ſequentia continet: I. *Concordantias Bibliorum* triplici columna charactere minuto et difficili ſcriptas, cum cetera, quae ſuccedunt, nitide exarata ſint.

II. *fol.* 65. *Incipit epiſtola Enee Siluii de pecolominibus que eſt de ſitu thabur et communione ſub vtraque ſpecie.* Data ad *Johannem S. Angeli* Cardinalem Diac. initium habet: *Quamuis apud bohemos apoſtolice ſedis legationem habueris* &c. et finem: *Quando deus et fata uolent veniemus ad te. Ex noua ciuitate* (Neuſtadt Auſtr. infer) *Kalendas* (praepone *duodecimo*) *ſeptembris Anno domini M° CCCCL primo.* Litterae hae ad Hiſtoriam temporis non parum opportunae leguntur in Edit. *Opp. Aeneae Silv. Baſil.* 1571. *Lib.* I. *Epiſt. n.* CXXX. p. 660. expreſſae ad veteres Sec. XV. Editiones, quarum et σφαλματα retinuere, ut conferenti patet. Ita utrobique mox ſub initium